

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Virginitas m cum fonte primo

Non fallit ueritas, non circumscribit iusticia, non decipit uirtus. Quod si non creditis oraculo, saltem credatis exemplo. Memoria nostra dudum puella nobilis seculo, nunc nobilior Deo cum urgeretur ad nuptias a parentibus et propinquis ad sacrosanctum altare confugit. Quo enim melius uirgo fugeret quam ubi sacrificium uirginitatis offertur, et caput omnium Christus cotidie ← consecratur?

Stabat ad aram Dei pudoris hostia, uictima castitatis; nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens,

que ait parentibus:
Quid agitis uos propinqui? Quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? Iam dudum prouisas habeo. Sponsum offertis? Meliorem reperi. Quaslibet exagitate diuitias, nobilitatem iactate, potentiam predicate. Habeo enim cui nemo se comparet diuitem mundo, potentem imperio, nobilem caelo. Si talem habetis, non refuto optionem; si non reperitis, non prouidetis mihi parentes sed inuidetis.

Ambrosius de uirginitate libro II.

Non fallit ueritas, non circumscribit iustitia, non decipit uirtus. Quod si non creditis oraculo, uel exemplis credite. Memoria nostra puella dudum nobilis saeculo, nunc nobilior deo, cum urgeretur ad nuptias a parentibus et propinquis, ad sacrosanctum altare confugit; quo enim melius uirgo, quam ubi sacrificium uirginitatis offertur?
Ne is quidem finis audaciae.

Stabat ad aram dei pudoris hostia, uictima castitatis, nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, nunc iustae impatiens morae ac summum altari subiecta uerticem: «Num melius – inquit – maforte me quam altare uelabit, quod sanctificat ipsa uelamina? Plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus cotidie consecratur.

Quid agitis uos, propinqui? Quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? Iamdudum prouisas habeo. Sponsum offertis? meliorum repperi. Quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, potentiam praedicate: habeo eum cui nemo se comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem caelo. Si talem habetis, non refuto optionem; si non repperitis, non prouidetis mihi, parentes, sed inuidetis.»

Ambrosius Mediolanensis, *De uirginibus*, 1, 64-65 (F. Gori ed., pp.160, 162, 164).